

synodis dioecesanis assistere; in omnibus ecclesiis et plateis, irrequisito consensu episcopi, praedicare poterant, etc.⁴

Sed ista libertas fortem oppositionem provocavit ex parte episcoporum, quorum auctoritas in Concilio Lateranensi V (1512—1517) et maxime in Tridentino praevaluit (1545—1563). Hic jam incipit alia epocha juris regularis in genere, parochialis vero in specie. In Concilio Lateranensi V positum est fundamentum pro ulterioribus solutionibus relationis inter utramque potestatem. Tridentinum vero postea sua decreta super hoc fundabit, quibus deinde Romani Pontifices et diversae Sacrae Congregationes optimas explicationes adjungent.

Etenim, ex omnibus quaestionibus in Concilio Lateranensi agitatibus et decisionibus factis clare patet problema in materia religiosorum circa duo versasse, scilicet: ad quem pertineat jus munus pastorale exercere; deinde, an episcopo relate ad religiosos, in eorum externa activitate, aliqua potestas competat. In utroque casu Concilium in favorem episcoporum et parochorum saecularium se pronuntiavit.⁵

Quod Lateranense concilium incepit, postea Tridentinum complevit, adhuc magis auctoritatem et potestatem episcopi firmavit atque religiosos eidem in multis praesertim in cura animarum occupatos subjecit. Hic solummodo quaedam afferre liceat. Ita v. g. episcopi est dare licentiam pro novi conventus erectione;⁶ religiosos extra monasteria vagantes sine licentia punire;⁷ vel punitionem exigere pro delinquente extra monasterium delictum patrante, at intra monasterium degente;⁸ approbationem necessariam ad excipiendas confessiones saecularium dare;⁹ licentiam extra

⁴ AM, ad an. 1474, n. 17 (XIV, 112 ss.).

⁵ Gasparri, *Fontes*, I, 125—127. Sic episcopi jus est «ecclesias ad eosdem fratres ratione locorum suorum legitime spectantes, quoad ea, quae ad parochianorum curam, et sacramentorum conservationem, administrationemque pertinent visitare». Similiter et pro confessionibus saecularium excipiendis ipso religiosi praesentari debent. Attamen hae decisiones in praxi parum valoris habebant usque ad Concilium Tridentinum.

⁶ Sess. XXV, c. 3 de reg.

⁷ Sess. XXV, c. 4 de reg.

⁸ Sess. XXV, c. 14 de reg.

⁹ XXIII, c. 15 de ref.